

VIET-CHI POST XXVI

www.vovietjournal.org

IN MARI OCEANO

Magistri Phan-Hoang epistularum series

(non-edited text)

Trời dài đất rộng, đi thật, sống thật, ghi vội, gửi về...

Cánh Thư Phan-Hoàng

ĐẦU SÓNG NGỌN GIÓ

Thư Số 14: THANH-PHO HOSEN

Epistula XIV : DE URBE HOSEN

(pars secunda epistulae XIII)

EPISTULA XIV

Cum Kamakuram circumiissem, postero die Fujisawa redii, ut in hamaxostichum ad urbem Hosen iter facientem, ubi magnum simulacrum Buddhae est, ascenderem. Cum angusta sit statio, nam nulla mansio est, hodie, hunc in locum, multi viatores festinantes concurrunt. Turba in utramque partem iens, viam celebrat. Neque rursus deerrare itinere, neque turbam sequi volo. Antequam ad magnum simulacrum Buddhae eo, alias aedes sacras videre et locum explorare cupio. Plerique advenarum hunc in locum veniunt ut Buddhae simulacrum tantum aspiciant et nonnullas imagines photographicas, ad amicis domi exhibendas, capiant. Ego, autem, usque ad hunc locum veni non ut simulacrum Buddhae spectem, at contra, ut Buddham inveniam. Itaque moror, donec fas est J.



Cum morer, signum contueor: cum litteris Latinis scriptum sit “Café CHA CA”, Vietnamiticus titulus videtur. Ehem! Vitae praeteritae memoriam momento repeto. “CHA CA” patina de piscibus in Vietnam nominatur; episcopo Catholico Eveque d’Adran, fidei praedicatori in Vietnam abhinc annos CC, Vietnamitae vocabulum “CHA CA” indiderant, Ut plurimas animas Vietnamitarum suae missioni catholicae pararet et ad fidem Christi collegium rectorum converteret, episcopus Adran imperatori Nguyen-Anh in bello civili contra regem Quang-Trung et eius successoribus auxilium tulit. Nguyen-Anh vicit factusque est rex nomine Gia-Long. Qui episcopo amplissimis largitionibus gratiam egit. Nonnulli rerum scriptores pro certo affirmant Adran, cui vocabulum CHA CA Vitnamitae indiderant, ad deductionem Gallicam incipiendam, mansuram saeculum, valuit. Qua de re nihil dico. Magnum sepulcrum episcopi CHA CA autem memini, in proximo aeroportu urbis Saigon aedificatum, quod cotidie videbam, domum ex sede officii rediens, ante XLVII annos aut plus. An amator episcopi cauponam Vietnamiticam aperuit in urbe Hosen?!

In urbe Hanoi, si memoria mihi constat, - inde cessi anno MCMLIV – popina nota patina delicatissima de piscibus quae vocatur CHA CA, in via LA-VONG fuit. Haec patina non solum magni pretii est, sed etiam idonea ad palata subtilia. Patina CHA CA ad extimatores pertinet. In hac nota popina, servi qui cibos apponebant, cum numquam notarent iussa adventorum, mirabile dictu, numquam errabant in praebendis mensis rationibusque, cum permulti diversores essent. Cum multos per annos multis in alienis civitatibus peregrinatus essem, cum multos cibos degustavissem, nusquam CHA CA inveneram. Abhinc biennium, in urbe Lusitana Ofir, coetus VOVIET TRAN-SU, cum acriter exercuissemus totum per diem, me vespere gessit ad litus, in popinam frequentem.

Mulier, quae iussa notabat, mihi memoriam notae popinae CHA CA urbis Hanoi attulit, dum loquitur cum diversoribus. In nostro aestivo conventu, non semel rediturus sum in hanc amplam cauponam! In urbe Montreal quoque, Vietnamitica popina CHA CA, finitima meae universitati studiorum, UQAM, in via LXXX est. Cuius cibi equisiti me delectant. Ista, tamen, non comparabilis est cum illa popina CHA CA urbis Hanoi. Olim collega, leniter aridens, quaesivit cur elegissem UQAM sedem docendi. Quiete respondi illo loco optimas Vietnamiticas cauponas esse, maxime de patina CHA CA. Bonum cibum nobis sumendum est, ut bene vivamus **J**. Ita respondi, quod proverbium Vietnamiticum est: “AN DE SONG, KHONG SONG DE AN” – Nobis cibum sumendum est ut vivamus; non vivendum est ut cibum sumamus. Ego aliter sentio. Puto hoc adagium falsum esse.

Cum in thermopolium–popinam CHA CA urbis Hosen iniisse, tres tabernarios acriter examinavi, ut cognosceret quisnam Vietnamita esset. Difficile perceptu. Videbantur illi tum Vietnamitae tum Iaponienses. Sententiam Vietnamitice expertus sum –“anh em manh gioi” i.e “Quid agitur”-, nemo eorum intellexit. Iaponienses vere erant! Cibus optimus erat; nec epulae nec thermopolium–popina vero Vietnamiticae erant! Omnia eo loco Iaponica sine exceptione erant. Et nomen Iaponicum est, nam potio de thea viridi Iaponice CHA CA appellatur!



Phan-Hoang, Mense Ianuario MMIX.